

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes
aliquot**

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Regularum Philosophicarum Disputatio XVI. continens Regulas XIII.
pertinentes ad doctrinam Subjecti et Accidentis

urn:nbn:de:bsz:31-102400

eujuslibet divisionis membra contradictionem involventia,

IX. Ex dictis jam etiam liquet, quid respondendum sit ad argumentum secundum §. I. Cùm enim (1.) non idem sint *contradictoria simpliciter*, & membra alicujus divisionis rationes *contradictorias importantia*, (2.) inter illa nullum planè detur medium, inter hæc verò tantùm non detur medium, quod sub divisõ contineatur, manifestum est, non absque causa hoc de divisione præceptum esse propositum.

Regularum Philosophicarum

DISPUTATIO XVI.

continens

REGULAS XIII.

pertinentes ad doctrinam.

SUBJECTI ET ACCIDENTIS.

Quia hæcenus Regulas tria priora Prædicabilia, quæ essentialiter prædicantur, concernentes proposuimus, Regulas etiam de Definitione & Divisione, quæ aliquò modò cum istis Prædicabilibus connexasunt, absolvimus; consequens est, ut de *subjectis & accidente* aliquid dicamus. Cùm autem *accidens præcipuè* hîc sumamus, ut oppositor es-

Bbb 3

sen-

sentia, proprium etiam sub eo comprehensum volumus.

REGULA I.

Quicquid advenit enti, est accidens,

I. Triplex accipi potest vox accidentis, quantum ad præsens: I. ut opponitur substantia, & dicitur accidens prædicamentale: quomodo accipitur, cum eas in substantiam & accidens dividitur, neque illa substantia hæc acceptione, accidens dici potest. II. Ut opponitur essentia, vel ei, quod est de essentia: & sic dicitur omne id, quod cum alicui competat, non est essentia vel de essentia & ratione formali ejus. III. Pro eò, quod continetur sub quinto prædicabili, & opponitur quarto prædicabili, quod proprium vocari solet, diciturque propterea accidens prædicabile.

II. Quidam intelligunt Regulam de accidente prædicamentali, inter quos est Joh. de Radâ Parte I. controvers. IV. Sed ista sententia non placet. Nam ex gr. dens, vel dentatum esse, advenit homini, postquam jam est in actu, & quidem completò, & tamen dens vel dentatum esse, potius substantiam importat, quàm accidens. Sic & in Polypò caruncula interiora nasi occupans advenit homini post esse perfectum & completum, quæ tamen substantia est. Quapropter nos latius vocem accidentis hic extendimus, & accipimus secundò modo, uti opponitur essentia & essentiali. III.

III. Plerumque etiam accipiunt Regulam de actu completo, ita eam enunciantes; *Quicquid advenit enti in actu completo, est accidens.* Verum si loquuntur de accidente in prima significatione, nempe de prædicamentali, s. præced. jam in contrarium disputavimus, & Regulam sic veram non esse ostendimus; Si in secunda sumunt significatione, sicut non negamus, eam hoc modo formatam esse veram, h. e. concedimus, id quod advenit enti in actu completo, esse accidens: ita asserimus, veritatem & usum ejus latius sese extendere, atque adeo omne quod advenit enti, quod est in actu, sive completo, sive incompleto esse accidens ejus. Ita cum anima à corpore separata elicit intellectiōnem, aut cum corpori denuò unitur, hæc dubio procul sunt accidentia ejus: cum istæ propositiones; *Anima intelligit; Anima unitur corpori,* sint accidentales, & tamen adveniunt animæ constitutæ in actu non completo, cum non sit ens completum, sed incompletum. Et ratio est, quia accidens hic dicitur omne illud, quod cum rei competat, est extra ejus essentiã. Atque etiam illud, quod advenit enti constituto in actu incompleto, et competit ita, ut sit extra ejus essentiã: sicut manifestum est ex modo posito exemplo.

IV. Dicitur autem ens actu id, quod est in rerum natura extra nihil. Et sic sensus Regule constituitur hæc: *Quicquid advenit (i. e. competit) rei: ita ut presupponatur jam esse in rerum,*

naturâ, illud ita ipsi competit, ut sit extra ejus essentiam.

V. Est autem & de accidente in tertiâ significatione Regula hoc modo vera. Quicquid enim competit rei post esse in rerum naturâ, ita competit ipsi, ut possit abesse & adesse citra ejus corruptionem, quæ est definitio & conceptus accidentis in tertiâ significatione. Res clara est, si ad exempla §. III. respiciamus.

VI. Alii pro voce *actu* usurpant vocem *esse*, dicentes: *Quicquid advenit enti post ejus esse, est accidens.* Ubi repetitum volumus ex *Disput. II. Reg. IV. §. II.* duplices esse apud Philosophos fieri mentionem, nempe *esse essentia* & *esse existentia*. De *esse existentia* explicavimus jam Regulam §. præc. Diximus enim, ens in actu vocari id, quod est in rerum naturâ extra nihil. Atqui aliquid esse in rerum naturâ extra nihil, & habere esse existentia, sunt unum & idem.

VII. Potest tamen Regula in sanô sensu etiam latius extendi, ita ut per *esse* intelligatur *esse essentia* sive *ipsa essentia*, (hæc enim idem sunt) sitque sensus: *Quicquid competit enti, præsuppositâ ejus essentiâ, illud est accidens ejus, sumta hæc voce in secunda significatione.* Utenim non semel diximus.

Quod competit rei, ut non sit essentia, vel de essentia ejus, id est ejus accidens.

Atqui quicquid convenit rei, præsuppositâ

tâ & conceptâ jam ejus essentiam pro-
convenit ipsi, ut non sit essentia vel sit
essentiâ ejus: aliâs enim non competi-
ret ipsi, presuppositâ & concepta jam
essentiâ, sed in conceptu ejus includeretur.

E. omne quod est hujusmodi, accidens est.
Ita de quantitate prædicatur, quod sit divisibilis,
ubi dico, divisibilitatem esse accidens quantita-
tis, quia ita prædicatur de quantitate, ut sit ex-
tra ejus essentiam. Nam essentia quantitatis con-
sistit in hoc, quod sit accidens extensum, h. e. ha-
bens partem extra partem. Hunc conceptum es-
sentialem quantitatis sequitur, quod sit divisibi-
lis. Divisibilitatis igitur prædicatur de quantitate,
ut non sit essentia vel de essentiâ ejus: aliâs enim
non sequeretur conceptum ejus essentialem.

IX. Inquis: Hanc Regulam non posse ac-
commodari ad proprietates rerum, imprimis, si
à re ipsâ non differant secundum rem, quomodo
se habet divisibilitas respectu quantitatis. Quod
enim semper convenit rei, imò realiter idem est
cum eâ, illud non potest dici ipsi advenire. At
propria semper conveniunt rei, imò reverâ sunt
ipsa res, quemadmodum divisibilitas est ipsa quan-
titas. Ergo.

IX. Resp. Propria rei, ut divisibilitas quanti-
tati, non possunt dici advenire quantum ad rem,
seu quantum ad esse in se, multò minus autem
ratione temporis, quasi tempore posteriora sint;

possunt tamen dici advenire rei in esse, quantum concipitur, sive quantum ad conceptum ejus. Cum enim essentia rei sit id, quod primò in re concipitur, proprium, cum ejus conceptus sit posterior, & posteriùs concipiatur quàm rei essentia, potest dici advenire rei in esse, sive ratione conceptus rei essentialis.

REGULA II.

Omne accidens est in subjectò fini suo proportionatò.

I. Omnis forma est in materia sibi finique suo proportionatà: sicut patet primùm de animà, imprimis de sentiente, quæ non informat materiam homogeam & similem, sed dissimilem, propterea, quod ad operationes animæ sentientis organorum diversitas requiritur, quibus caret materia homogea. Deinde inde, quod materia, & forma eam informans, habent se ut potentia & actus. Sed inter potentiam & actum debet esse proportio & quædam convenientia. Jam subjectum accidentis est materia, & ipsum accidens est forma. E. omne accidens est in subjecto sibi finique suo proportionatò.

II. Possimus autem hanc propositionem uti I. pro Scotò, ad probandum, virtutes morales esse in voluntate tanquàm in subjectò, quoniam ordinantur ad *propter seipsum*: quod constat per Aristotelem, qui definit virtutem moralem, quod sit.

regulæ. At voluntas est subiectum proportionatum tali fini, eum proprius eius actus sit *regulæ*. Atque ista ratio secundum rem est ipsius Scoti *II. sent. dist. XXXIII. q. unic. ubi; contra virtus*. In eadem ferè materiâ usurpatur, ista propositio à Soarîo *Disp. Metaph. XLIV. Sect. I. num. IX.*

III. Uci eâ possumus ad probandum, scientiam & artes non esse in librò, sed in animò. Sumamus e. c. Logicam: ejus actus & finis est inter alia construere & resolvere syllogismum. At non liber, sed animus hominis, est subiectum proportionatû huic fini. Si enim liber aliquis in scripta contineat præcepta Logicæ per multa annorum millia, nunquàm tamen poterit construere, vel resolvere syllogismum, cum hæ operationes non possint provenire nisi à facultate cognoscente, quâ liber, tanquàm quid inanimatum, caret.

REGULA III.

*Quod excluditur per aliquod accidens,
id ipsum est accidens.*

I. Fonseca in *IX. Metaph. cap. I. q. I. s. III.* esse potentia non esse de essentiâ rerum, sed ipsis accidere, inde probat, quod esse potentia excluditur per esse actu, quia per hoc, quod aliquid est actu, definit esse in potentia, neque cum hoc quod aliquid actu est, stare potest, quod sit simul potentia. At esse actu est accidentarium rebus,

rebus, cùm contingens sit, res creatas esse actu seu existere. Ex hac argumentatione hac formari potest Regula: *Quicquid excluditur per aliquod accidens, id ipsum est accidens.* Huic enim propositioni argumentatio illa innititur, ejusque veritate vacillante vacillat. Ita *esse frigidum*, excluditur vel remouetur ab aqua per *esse calidum*: per hoc enim, quod aqua est calida, necessarium non est frigida. Cùm ergo *esse calidum* sit accidens aquæ. E. & *esse frigidum* erit ejus accidens. Sic cùm accidat Philosophiæ, quod sit in homine fideli, etiam accidens ejus erit, quod sit in infideli: cùm per hoc, quod est in fideli, excludatur ab infideli, (idem enim numero Philosophiæ habitus, qui infideli est non potest esse in infideli) adeo, ut malè id quidam profitentes, se locuturos de Philosophiâ in se, & in suâ essentia consideratâ, proferant argumenta concernentia Philosophiam, ut fuit in Ethnicis.

II. Nullum autem dubium est, quin Fonseca loquatur de accidenti prædicabili, quale est *esse actus* respectu rerum creatarum. Nam si loqueretur de accidente prædicamentali, argumentum ejus nullum esset: siquidem loquitur de esse actuali quarumvis rerum, quæ in prædicamentis collocantur, etiam substantiarum. At existentiæ, seu esse aduale substantiarum, non est accidens prædicamentale, sed pertinet ad prædicamentum substantiæ.

III.

III. Dicitur: Esse frigidum, excluditur per calorem ignis: expellit enim calor ignis frigus ex aquâ; & tamen calor ignis non est accidens prædicabile respectu aquæ, cum aqua non possit dici calida per calorem ignis, licet sit accidens prædicamentale.

IV. Resp. Dicitur aliquid excludere aliquid dupliciter: *per modum efficientis*, & *per modum formæ*. Calor ignis excludit frigus ex aquâ per modum causæ efficientis, quia producit calorem in aquâ, cum quò frigus in aquâ stare non potest. Sed calor in aquâ productus à calore ignis, excludit frigus ab aquâ per modum formæ: quia calor in aquâ productus est forma, per quam aqua est calida, & cum quâ in aquâ frigus simul consistere nequit. Loquitur autem Regula de eo, quod excludit aliquid per modum formæ. Non mirum igitur, quod calor ignis non est accidens aquæ, cum solum efficienter excludat frigus ab aquâ.

V. Potest tamen etiam de accidente prædicamentali intelligi. Id scilicet est accidens prædicamentale, quod excluditur per aliquod accidens prædicamentale, modò id, quod excluditur, sit quid positivum. Quod addo propterea, quod id, quod positivum non est, non est accidens prædicamentale, cum sola positiva sint in prædicamentis per se. Hinc etsi tenebræ per lumen excludantur, quod est accidens prædicamentale, tenebræ tamen non sunt tale accidens, nisi reductivè.

VI. Dicitur: Forma substantialis ignis excluditur

tur

tur per frigus: non enim potest ibi forma ignis consistere, ubi frigus est. At frigus est accidens. E. etiam forma substantialis ignis erit accidens; quod absurdum.

VII. Resp. Potest aliquid excludere aliquid dupliciter, *immediatè seu per se, & mediatè seu per aliud.* Intelligenda est Regula de eò, quod excludit *per se & ratione sui.* Frigus excludit quidem formam ignis, sed per aliud, nempe ratione caloris; calorem autem excludit frigus ratione sui. Sed quia forma ignis non potest alicubi consistere, nisi cum calore, hinc quia calor per frigus excluditur, consequenter etiam per idem excluditur ipsa forma ignis.

REGULA IV.

Accidens non migrat de subjectò in subjectum.

I. Obstat. I. cum ignis calefacit aquam, calor transit de igne in aquam. Rarii item Solares transeunt de Sole in aërem. II. Calor vitalis in subitâ consternatione revocatur à partibus exterioribus ad interiora. III. In scriptione nigredo transit de penna in chartam. IV. Color apparens seu spiritalis transit de subjectò in subjectum: nam à vinò in phialâ contentò producitur splendor in linteò. Si phialam moveas, splendor ille recipitur in alio subjecto. V. Cum ex aqua generatur aër, fit hoc mediante calore: non enim ge-

neratur
sicut resolu
antea e
gravitate
II
dam: i
relingu
autem
tis. Ac
quo est
jectum
est in a
modo
in quo
III
dente
ciari se
ma sub
Forma
quidem
Deper
teria,
qua su
subject
IV
ma rat
ria non
quod in
suo, co

nera

neratur aer ex aqua, nisi aqua prius incalasciat, & sit resolvatur in aërem. Hic ille ipse calor, qui antea erat in aqua, postmodum est in aëre, migravit ergo ex aquâ in aërem.

II. Sciendum, Regulam ita esse intelligendam: *Unum idemque numero accidens non potest relinquare unum subjectum, & recipi in alio.* Est autem veritas ejus perspicua ex natura accidentis. Accidens enim non potest esse absque eò, in quo est. E. non potest migrare de subjecto in subjectum. Antecedens probatur, quia accidens est in aliquo, tanquam in subjecto. At quod hoc modo est in aliquo, non potest esse seorsim ab eo, in quo est. Aristoteles *c. II Categ.*

III. Quanquam autem hoc tantum de accidente seu formâ accidentali plerunque pronunciarî soleat; rectè tamen etiam usurpatur de forma substantiali. Unde alii generaliter dicunt; *Forma non migrat de subjecto in subjectum*: quod quidem verissimum est de *omni formâ materiali.* Dependent enim formæ materiales in esse à materia, (quæ subjectum dicitur *I. Physic. t. 82.*) in qua sunt. E. non possunt ab ea separari, & in alio subjecto existere.

IV. Dixi autem *forma materialis*: quia anima rationalis, quæ dicitur immaterialis, à materia non dependet, neque alligata est ad corpus, quod informat. Unde in morte migrat de subjecto suo, corpore nimirum; quamvis nò videatur asse-

tenet

rendum, eam migrare in aliud subjectum, quia, tantum migrat in aliquod ubi, quod non puto appellandum esse subjectum,

V. Noto autem insuper, Regulam esse intelligendam de subjecto, cui accidens inhæret immediate. Subjecti autem, quod denominat accidens mediante aliquâ substantia, cui inhæret, alia est ratio: ab hoc enim migrare in aliud, non est contra naturam accidentis. Sed hæc clariora reddentur ex subsequētibz.

VI. Ad argumentum I. Resp. aliud esse *transitum ejusdem accidentis de subjecto in subjectum*, aliud, *productionem alicujus accidentis de novo in aliquo subjecto ab alio subjecto, vel alio accidente alterius subjecti*. In calefactione idem numero calor non transit ab igne in aquam: quia ille ipse calor, qui in igne est, manet in igne, neque igne relicto in aqua recipitur, sed tantum alius numero calor producitur in aqua à calore ignis. Idem dicendum est de radiis Solaribus, radiorum enim, qui in aëre recipiuntur, subjectum Sol nec est, nec fuit, sed tantum causa efficiens eorum est, à qua in aëre produciuntur.

VII. Ad II. Subjectum immediatum caloris vitalis recedentis ab exterioribus partibus in interiores, sunt sanguis & spiritus. Atqui calor non relinquit sanguinem & spiritum, & in alio subjecto immediate recipitur; quia non aliter revocatur ab exterioribus ad interiora, quam quod san-

guis

guis &
ab exte
terior
sicut &
istius,
media
Et hō
neti p
subje
liā sub

IIX
media
transi
corpu
tur, se

IX
istum
minat
sed pe
media
in ani
ra, id
quia c
tam, e
igitur
to tran

X.
splend
linteru

guis & spiritus, quibus inest, localiter moventur ab exterioribus ad interiora. Ipsæ quidem exteriores partes corporis, ex quibus calor migrat, sicut & internæ, ad quas migrat, sunt subjectum istius caloris, sed tale, quod denominatur ab eò mediante sanguine & spiritibus, quibus inhæret. Et hõc ipsò probatur id, quod §. V. concessimus, nempe, non esse absurdum, accidens migrare de subjecto, quod ab eò denominatur mediante aliâ substantiâ, cui in est, in aliud tale subjectum.

IX. Idem dicendum est ad III. Subjectum immediatum nigredinis enim, quod in descriptione transit de calamo in chartam, est substantia seu corpus atramenti. Atqui ex eo illa non egreditur, sed unâ cum eo communicatur chartæ.

IX. Facile autem quilibet perspicit, transitum istum accidentis de subjecto, quod mediâtè denominat, in aliud, non competere accidenti per se, sed per accidens, nempe ratione subjecti, cui immediâtè inest. Quia enim v.g. spiritus & sanguis in animali revocantur ab exterioribus ad interiora, ideò & calor, qui ipsis inest, revocatur. Et quia corpus atramenti transit de calamo in chartam, eo mediante nigredo etiam transit. Per se igitur accidens nec ex immediato, nec ex mediato transit subjecto.

X. Ad IV. dico, quod non sit idem numero splendor productus in alio subjecto cum eo, qui linteum antea irradiabat.

XI. Ad V. Qui asserunt, in genitō manere, eadem numerō accidentia, quæ antea fuerunt, in corruptō : asserunt, (& id quidem necesse est) accidentia illa esse immediatē in materiā primā. Cum ergō eadem numerō sit in genito & corrupto, accidentia non transeunt in generatione de subjecto, cui immediatē insunt, in aliud. Unde patet, cum ex aquā aër generatur, calorem manere in eodem subjecto, nempe in materiā, cum illa eadem sit in aëre genito, quæ antea fuit in aquā. Hinc si vel maximè concederemus, calorem migrare ex aquā in aërem, Regulæ nostræ nihil obesset, quia aquæ & aëri inest calor mediante materiā. Sed nec illud ipsum propriè videtur dici posse. Ut enim aliquid propriè dicatur migrare de subjecto in subjectum, requiritur, ut deserat unum subjectum. At in generatione aquæ, calor non deserit aquam, sed potiùs per suum interitum relinquit & deserit, quandoquidem calor in eā maneret, si ipsa interiret.

REGULA V.

Accidentis non est accidens.

I. Dupliciter dici potest, accidentis esse accidens: I. ita, ut unum alteri non insit, prædicetur tamē unū de alterō accidentaliter, propterea, quod utrumq; accidit & inest alicui tertio, nempe substantiæ. Hòc modo sese habent album & dul-

& dulci, quod quæ pte, & d ni, aut accide modo accidē firmat

II. insit, & affirmati, multi, XIII. cas esse est, ut Sto.

Quum cultati

III.

XII. q. esse ver autorit

2

S

E

aut

Aut.

& dulce: accidit enim albo, quod sit dulce, & dulci, quod sit album. Et sunt istæ prædicationes, quæ per accidens dicuntur, veræ: *Album est dulce, & dulce est album*, non quod dulcedo albedini, aut albedo dulcedini insit, sed quia utrumque accidens inest uni subjecto, v. g. lacti. Et hoc modo dubiū non est, quin unū accidens sit alterius accidens: sicut patet ex modo allato exēplo, & confirmatur expressè textu Aristotelis mox citandō.

II. II. Potest dici ita, ut unum accidens alteri insit, & alterum alteri sit subjectum Hoc modō affirmant Durandus in *1. dist. XIX. q. IV.* & alii multi, quos sequitur Suarez *Disput. Metaph. XIII. Sect. IV.* Afferunt enim, qualitates physicas esse in substantiā, mediante quantitate, hoc est, ut prius insint quantitati, tanquā in subjecto. Probant id etiam exemplo habituum & actuum intellectūs & voluntatis, qui in hisce facultatibus insunt.

III. Contraria sententia est Gregorii *II. dist. XII. q. II. a. II.* negantis, unum accidens esse verū subjectū, cui alterum reversā insit. Præter autoritatem Aristotelis adducit hanc rationem.

Nulla forma est principium patiendi aut recipiendi aliud: alias enim confunderetur munus formæ cum officio materiæ, materiæ enim est recipere & pati.

Sed omne accidens est forma.

E. nullum accidens est principium patiendi aut recipiendi aliud.

Ccc 2,

IV.

manere,
fuerunt
necesse est)
eriā primā.
& corrup-
tione de-
id. Unde
rem man-
ā, cum illa
nit in aqua.
lorem mi-
x nihil ob-
liante ma-
idetur dici
tur migrā-
r, ut defe-
ne aëris ex
ne aqua.
ciūs lo-
re ca-
non
i ipsa

s. esse acci-
prædicetur
reā, quod
empe sub-
album &
dul.

IV. Autoritas autem Aristotelis est *IV. Met. c. XIV.* ubi: *accidens, inquit, non est accidentis accidens, nisi quia utrumque eidem accidit.* Quibus verbis negat Philosophus, ullam aliam ob causam accidens esse accidentis accidens, quam ob eam, *quod utrumque accidat alicui subiecto.* At si unum accidens est alterius accidentis accidens, propterea, quod unum alteri reverâ & immediate inest, eoque mediante inest substantiæ, sequitur, aliam esse causam, cur accidentis sit accidens, præter eam, quæ à Philosopho assignata est.

V. Sed nescio, an istis Gregorius satis tueri se possit. Ad argumentum enim ejus respondeo, Majorem esse falsam: nam anima est forma, & tamen recipit in se habitus, & actus intelligendi & volendi. Neque per hoc confunduntur officia materiæ & formæ, quia id sit diversò respectu. Anima enim est forma corporis; sed est subiectus & principium receptivum non corporis; sed habituum & actuum. Ita non repugnat, superficiem esse formam, per quam substantia dicitur lata & longa, & simul materiam seu subiectum respectu albedinis, nisi forsitan aliæ obstiterint rationes.

VI. Quod attinet ad locum Aristotelis, respondet Johannes de Radâ *Part. IV. controv. XI. art. II. (I.)* Vocem quia ibi non esse notam causam, sed concomitantiam, ut sit sensus: *non accidit accidens accidenti, nisi quando ambo accidunt alteri.* At in argumentò, quod ex illo textu con-

struxit
sam.
accide
num d
per acc
inculc
nim ib
ita acc
tantum
de huj
num r
dit sub

VI.
fenter
tur. I
accid
stinct
dunt,
ma si
tera l
gat G
re. &
venir

deat
II
dent
esse i
ineff
jam,
tent

struximus, præsupponitur; *non quia* significare causam. (2.) Respondet, loqui ibi Aristotelem de accidentibus disparatis, hoc est, quæ, quando unum de altero prædicatur, faciunt prædicationem per accidens. Et hanc responsionem alii etiam inculeant, & est ad mentem Aristotelis. Agit enim ibi de iis accidentibus, quorum unum alteri ita accidit, sicut album musico. At ex hisce fit tantum prædicatio per accidens. Estque adeo de huiusmodi accidentibus verissimum, quod unum non accidat alteri, nisi quia utrumque accidit subjecto, sicut ex ante dictis manifestum est.

VII. Quæquam etiam de iis, quæ propriori sententiæ proposita sunt, non immerito dubitentur. Præsupponitur enim, facultates animæ esse accidentia, & secundum rem à substantiâ ejus distinctas. At id Gregorius & multi alii non concedunt, videturque ea sententiæ, quod facultates animæ sint secundum rem ipsâ substantiâ animæ, altera longè probabilior. Quin & quantitatem negat Gregorius secundum rem à substantiâ differre, & etsi differat, illud tamen exemplum non convenire multi disputant. Quid Mendoza respondeat *Disp. Phys. VI. s. VI. subs. II.* apud ipsum vide.

IX. Videtur tamen exemplo modorum accidentalium probari posse, aliquid accidens posse esse in alio, tanquam in subjecto, v. g. quantitati inesse, quod fit alicubi. Sed nihil determinabimus jam. Sufficiat indicasse diversorum Autorum sententias. Legantur Auctores citati *ll. cc.* & alii.

IX. Solum ostendendū, quomodo, si præsupponatur illa sententia, quam Durandus & Suarez defendunt, possit stare veritas nostræ Regulæ. Dicimus, duplex alicujus accidentis subjectum esse posse *ultimum & propinquum*. Illud est ita subjectum, ut ipsum non sit in alio subjecto. Huic autem nihil repugnat, alteri subjecto inesse. Unū accidens non est accidens alteri accidentis, tanquā subjecti ultimi: est enim omne accidens in subjecto. Ergo nullum accidens est subjectū ultimum alterius. Præsuppositū ergo, unum accidens esse in altero, tanquā in subjecto, dicendū, id verum esse de subjecto propinquo, & non ultimo. At quando dicitur, *accidentis non esse accidens*, accipiendum est de subjecto ultimo.

REGULA VI.

In Deum non cadit accidens.

I. Conradus Vorstius *Tract. de Deo & attrib.* div. p. 209 non veretur scribere in Deo esse aliud & aliud, videlicet *subjectum & accidens*. Et paulo post: *Non sunt axiomata ista vulgo quidem recepta simpliciter & omnimodò vera: In Deum non cadere compositionem, nullum in Deo accidens esse, &c.*

I. Sed impia est ista sententia, ab eā que ali. Theologi abhorrent. Sciendum autem, sermonem esse de accidente *predicamentali*, & *realiter distincto ab eo, cujus est accidens*. Quo præsupposito ita argumentor:

In

In quocunque est accidens, in eo est potentia passiva seu receptiva.

In Deo non est ejusmodi potentia.

E. in Deo non est accidens.

Major probatur, quia omne accidens inhæret & receptum est in eo, cujus est accidens. Sed nihil potest alteri inhære, & in ipso recipi, nisi id habeat potentiam passivam seu receptivam, sicut ex terminis constat. Minor autem probatur, quia potentia passiva importat imperfectionem. At Deus cum sit ens infinite perfectum, nihil imperfectionis in se habere potest.

III. Dicis: De Deo prædicatur aliquid accidentaliter. E. in Deum cadit accidens. Antecedens probatur, quia Deus dicitur creator, dicitur cognosci & coli à creaturis. At ista sunt prædicata pertinentia ad quintum prædicabile, quod est accidens.

IV. Resp. Paulò ante dictum est, axioma intelligi de accidente prædicamentali. Certè Deo tribuere accidens prædicabile, quod de eo per denominationem extrinsecam dicitur, absurdum non est: quandoquidem hujusmodi accidens nullam importat imperfectionem, nullam efficit mutationem in eo, cujus accidens dicitur, nihil ipsi addit, nihil detrahit: sicut per hoc, quod paries videri dicitur, denominatio extrinseca est, & paries nõ mutatur neq; quidquã perfectionis acquirit aut amittit. Jam cum Deus dicitur creator, aut

cognosci, vel coli à creaturis, non importatque aliquod accidens, quod Deo inhæreat, sed sunt istæ denominationes extrinsecæ à creatione, vel creaturâ, & à cognitione & cultu, quem ipsi creatura exhibent petita.

V. Sed istas:

Sapientia est accidens prædicamentale,

Sapientia est in Deo.

E. accidens prædicamentale est in Deo.

VI. Resp. Major vera est de sapientiâ creaturatum; et Sapientia, quæ in Deo est, & per quam Deus dicitur sapiens, non est alicujus creature sapientia. Et huc pertinet illud Theologorum: *Quæ in creaturis sunt accidentia, cum Deo attribuuntur, transeunt in substantiam.* Solutionem argumentorum Vorstii vide apud Albert. Gra-
yverum d. sp. I. quæst. illustr. q. IX. & Becan. P. I. Theol. Schol. Cap. II, conclus. II. & Cap. XI. Qu. IV. & V.

REGULA VII.

Quod in unò est accidens, in aliò non est substantia.

I. Si substantia sumatur latè, pro cujusque rei essentiâ, & accidens pro prædicato, quod est extra essentiâ, aut ut pertinet ad quintum prædicabile, sic quòd in uno est accidens, in alio substantia esse potest: quia quod uni competit ita, ut de essentiâ, ejus non sit, sed prædicetur de eo, tantumquam

quàm accidens quinti prædicabilis, id alterius rei essentialiter prædicari potest: quænam admodum scientia hominis accidens geometriæ autem essentia est.

II. At si accidens pro eo sumatur, quod est in aliquo ex novem prædicamentis accidentium, & substantia, prout peculiare constituit prædicamentum, sic quod est accidens in uno non potest substantia esse in alio, & vice versa. Quod testatur Aristoteles I. Phys. t. 26. his verbis: ὅτι δὴ ἐστὶ ἀλλὰ ὑπάρχει τὸ ὄσπερ ὅτι ὄσπερ. Ubi per τὸ ὄσπερ substantiam intelligit, & cum dicit, eam in alio non esse, substantiam accidens esse negat.

III. Alexandrum Aphrodisæum statuisse prohibent, qualitates primas in elementis, ut calorem in igne, frigus in aqua substantiam seu formam substantialem, in mixtis vero accidentia esse. Id ex nostra Regula refutatur, & disputat contra eum Averroës V. phys. t. 10. ubi inter alia sic loquitur: *Impossibile est, ut aliquid in alio sit de aliquo prædicamento, & in alio de alio, ita quod calor sit in homine de qualitate, & in igne de substantia.*

II. Sed obstat, quod Reg. præced. dictum est, Sapientiam esse in Deo substantiam, in creaturis accidens, & universim quæ in creaturis sunt accidentia, cum Deo attribuuntur, in substantiam transire.

V. Resp. Sapientia non dicitur de Sapientia Dei

Dei & hominum univocè & secundùm unum conceptum. In homine & perfectionem dicitur & imperfectionem; in Deo tantùm reperitur secundùm id, quod perfectionis est, remotâ quâlibet imperfectione. Eadem ratio est aliorum, quæ eùm in creaturis sint accidentia, in Deo in substantiam transeunt, h. e. substantiæ esse dicuntur: non enim de Deo & creaturis univocè prædicantur. At Regula nostra de eo loquitur, quod pluribus inest univocè.

REGULA IIX.

Duo accidentia solò numerò differentia non possunt esse in eodem subjecto.

I. Thomas P. I. q. LXXXV. a. IV. asserit, ne diversarum quidem specierum sub eodem genere (quod procul dubio de proximo intelligit) accidentia posse esse in eodem subjecto simul. Ita enim ibi: *Impossibile est, inquit, idem subjectum, perfici pluribus formis unius generis & diversarum specierum, sicut impossibile est, quod idem corpus, secundùm idem, coloretur diversis coloribus, vel figuretur diversis figuris.*

II. Verùm isti sententiæ obstat, quod plures scientiæ specie differentes sub eodem genere proximo in eodem intellectu simul existunt: sicut & plures virtutes morales ejusdem generis. diversarum verò specierum, in eodẽ appetitu simul consistere certum est. III.

III. Nec satisfaciunt Thomistæ, quando dicunt, Thomam loqui de formis existentibus in actu completo (quomodo quidem ipse etiam se explicat *Qu. IIX. de verit. a. XIV.*) duas autem scientias, vel duas virtutes morales, existere in eadem potentia actu incompleto, quia sunt simul in actu primo, non in actu secundo. non enim possunt duarum scientiarum vel virtutum actus simul exerceri.

IV. Non inquam, satisfaciunt, quia non potest reddi sufficiens ratio sententiæ Thomæ. Nam quod ille eam probat exemplis colorum & figurarum, nihil agit. Illa accidentia enim non possunt esse simul in eodem subjecto non propterea, quod specie differunt sub eodem genere; sed quia includunt aliquam oppositionem in ordine ad subjectum: semper enim duo colores opponuntur, aut tanquam extremè contrarii, aut sicut extremus & medius, aut sicut duo intermedii; figuræ etiam includunt repugnantiam in situ aut rectitudine & obliquitate, aut in aliâ re simili. Non est autè necesse, omnia accidentia specie differentia habere huiusmodi oppositionem respectu subjecti.

V. Dico *respectu subjecti*: quia omnia accidentia diversarum specierum habent oppositionem inter se, quatenus unum de altero in abstracto saltem prædicari nequit; sicut Geometria & Arithmetica in uno quidem sunt homine, & unus idemq; homo dici potest Arithmeticus & Geometra, & sic
respe-

respectu subjecti non habent oppositionem; si tamen eas scientias à subjecto præscindam, & inter se considerem, habent quandam oppositionem seu repugnantiam, nec de se invicem prædicari possunt: non enim Geometria est Arithmetica.

VI. II. Quod dicunt, duo accidentia posse quidem in actu primo esse simul in eodem subjecto, non autem cum actu secundo, quia scilicet ipsi actus secundi non possunt esse simul in illo subjecto, simili modo eluditur. Nam quod duo actus secundi non possunt simul esse in eodem subjecto, non est ex parte ipsorum, quod specie differant, sub eodem genere, (non enim est major repugnantia in actibus, quod non possint esse in eodem, quam in ipsis habitibus, aut aliis accidentibus ejusdem generis) nec est ex parte potentie receptivæ; sed causa videtur referenda in virtutem activam, quæ non potest simul illos actus efficere: sicut intellectus, dum est occupatus in eliciendo actu, ad quæ ab uno habitu inclinatur, non potest exercere actum, ad quem ab alio inclinatur.

VII. III. Per hoc, quod accidens est in subjecto absque actu secundo, non rectè dicitur esse in eo incompletè, cum actus secundus nihil faciat ad existentiam accidentis in subjecto & complementum ejus. Vide Soarium *Disp. Metaph. V. sect. IX.*

IX. Sed hæc de accidentibus diversarum specierum. De illis, ejusdem speciei quæ sunt, soloq; dif-

differen-
teles
negare
simul
cie diff
sint, a

IX.
esse si-
cundu
eodem
solo n
Nam
tri &
psi, P
bæ ta
non p
vider
res fi
ne ad
illas

X
disti
illa f
in eo
res e
sed p
non
liqu
Soar
tia f

differunt numero, major est difficultas. Aristoteles *V. Metaph. cap. X. t. 15.* in universum videtur negare, accidentia hujusmodi in eodem subiecto simul esse posse. Afferit enim ibi, *omnia illa specie differre, quæ cum in eadem ipsorum substantia sint, differentiam habent.*

IX. I. Certum est, nec duas albedines posse esse simul in eadem charta, aut alio subiecto secundum eandem partem, neque duos calores in eodem igne. Concessum est II, aliqua accidentia solo numero differentia in eodem esse subiecto. Nam species visibiles duorum hominum, v.g. Petri & Pauli, tantum numero differunt, sicut & ipsi, Petrus & Paulus, solo differunt numero; ambæ tamen simul sunt in eodem oculo: Alias enim non posset idem homo eodẽ oculo utrumque simul videre. Ita quidã docent, in uno parte habent plures filios, esse plures relationes, ita ut alia relatione ad aliũ referatur filiũ. Quis autẽ neget, omnes illas relationes solo differre numero?

X. Verum generalem aliquam & sufficientem distinctionem hic assignate, & explicare, quoniam illa sint accidentia, quæ solo numero differentia in eodem possint esse subiecto, & quæ non possint, res est perquam difficilis, & varii varia finxerunt, sed parum satisfactoria, quibus immorari jam non placet. Videantur apud Soarium *l.c.* Nos reliquis omnibus præferendam judicamus ipsius Soarii sententiam. Facit ille duplicia accidentia solo differentia numero: Quædam præter-

distingui

distinctionem entitatum in reliquis omnibus habent quandam similitudinem & convenientiam, in munere videlicet vel officio, ad quod destinantur, & in quâcunque habitudine, quam dicunt: ut sunt *duo calores, dua albedines*, & similia. Alia verò sunt, quæ licet in specifice ratione convenient, & sub eâ tantùm numero differant, tantam tamen similitudinem inter se non habent, sed differunt vel in munere, vel in habitudine: ut duæ species Petri differunt numero priori modo; duæ autem species, visibiles scilicet, quarum una Petri est, altera Pauli, differunt numero hoc posteriori modo: non enim tam similes inter se sunt, sicut priores duæ, cum diversas habeant habitudines ad objecta, & ad diversa ordinentur munera.

XI. Accidentia prioris generis non possunt multiplicari in eodem subjecto; quæ verò sunt posterioris generis, possunt: idque probari potest inductione & exemplis allatis. Nec deest ratio diversitatis inter utraque accidentia. Si enim accidentia omninò similia multiplicarentur in eodem subjecto, daretur aliquid superfluum & otiosum in naturâ. Si verò sunt aliquo modo diversa, diversasque habitudines participant, (ut contingit in duabus speciebus visibilibus, quarum una Petrum, altera Paulum representat; in diversis item relationibus, quibus idem pater refertur ad diversos filios) eorum multiplicatio non est omni-

mininò
quod
relatio
Plures
nit Sua
Aristo
ut illu
sate om
in indu

XII
duo ac
dum si
cessiv
eodem
habui
quisiv
fendit
dicim
duo a
(quod
dem si
ponat
quod
lor pro
ro div
ri pote
& cor
hac se
Sed no

minò superflua & supervaganea. Quanquam, quod relationes attinet, multi affirmant, unicâ relatione unum patrem ad plures referri filios. Plures alias rationes pro suâ distinctione proponit Suarez, qui etiam juxta eam explicat locum Aristotelis *V. Met. t. 15* dicens: *non esse necesse, ut illud indicium diversitatis specifica sit universale omnino de omnibus accidentibus, sed de his, quae in individuo sunt perfecte similia.*

XII. Atque hactenus etiam disquisivimus, *an duo accidentia solo numero differenti possint in eodem subjecto simul esse? Queritur ulterius, an successivè possint?* Dicuntur autem successivè esse in eodem subjecto, quando subjectum idem prius habuit unum accidens, & deinde illud amisit, acquisivit verò postea aliud ejusdem speciei. Defendimus affirmativam, quæ communis est, & dicimus, non solum posse, sed & actu esse, duo accidentia ejusdem speciei specialissimæ (quod est dicere *solo numero differentia*) in eodem subjecto successivè: sicut si aqua calida ponatur in loco frigido, calor ejus corrumpitur; quod si postea denuò igni admoveatur, denuò calor producitur. Esse verò hos duos calores numero diversos, est communis sententia, & confirmari potest autoritate ipsius Aristotelis *II. de gener. & corrupt. t. ult.* quamvis firmam aliquam pro hac sententia rationem afferre, non ita facile sit. Sed non placent diutiùs hisce inorari, quæ ferè ex

So-

Soario descripsimus, quia ille præ reliquis dextrè rem explicavit, neque melius quid jam occurrit.

REGULA IX.

Unum numerò accidens non potest esse in duobus subjectis.

I. Accidens esse vel non esse in duobus subjectis, bifariàm potest intelligi: I. ita, ut illa subjecta sint divisa: ut duo homines, duæ chartæ. Vel II. ut non sint divisa; & hoc iterum dupliciter. Vel enim subalternata sunt illa subjecta, h. e. accidens inest uni mediante altero vel non subalternata sunt, sed accidens inest utrique æquè primò, vel non æquè primò. Sciendum & hoc. Regulam posse intelligi, quod subjectis vel simul inest, vel successivè, & si successivè, quod subjectum utrumque sit mediatum, vel immediatum.

II. Quibus præmissis dico I. *Unum numerò accidens successivè potest esse in duobus subjectis mediatis; in immediatis non potest.* Prima pars conclusionis patet de sententia illorum, qui asserunt, eadè numero accidentia manere in genito, quæ fuerunt in corrupto: sic enim, cum ex gr. ex aqua aër generatur, illè ipse calor, qui antea fuit in aqua, modò est in aère. Sic & duæ spongiæ possunt esse successivè subjecta ejusdem numero humiditatis, si nimirùm aquam ex spongia exprimamus, & illà ipsà spongiam aliam imbuamus. Quod autem illæ spongiæ rectè dicuntur subjecta hu-

Quod
humid
citur h
tivè &
illa in
tari no
ditas i
illis, n
suppet

III.
dem n
obus s
liqua
quæ ex
mâ, cu
media
dem e
ex qu
nomi
quàm
in utr
imme
accide
tionis
nume
nicâ
dens
qualis
est in

Quod autem illæ spongiæ rectè dicuntur subjecta humiditatis, inde patet, quod utraq; spongia dicitur humida ab illâ aquæ humiditate denominativè & accidentaliter. Quod etiam humiditas illa in utrâque spongiâ eadem numero sit, dubitari non potest proptereâ, quod aqua, cui humiditas illa immediatè inest, eadem numero est in illis, neque ulla probabilis ratio in contrarium suppetit.

III. Hæc tamen exempla probant solum, idem numero accidens posse successivè esse in duobus subjectis mediatis, quæ scilicet mediante aliquâ substantiâ ab accidente denominantur. Aquæ enim & aëri calor inest, mediante materiâ primâ, cui immediatè inest, & sic subjectum, cui immediatè inest, est unum numero, quia eadem est materia in aëre, quæ antea erat in aquâ, ex quâ aër genitus est. Similiter duæ spongiæ denominantur humidæ mediante aquâ, quæ tanquam subjectum immediatum una numero est in utrâque spongiâ. In duobus autem subjectis immediatis ne successivè quidem unum numero accidens esse potest, (quæ est altera pars conclusionis.) & ratio diversitatis est, quod sicut una numero substantia naturaliter non existit nisi unicâ subsistentia; ita etiam unum numero accidens non existit nisi unica inhærentiâ in subjectis: qualis enim & quanta familiaritas & connexio est inter substantiam & subsistentiam; talis & tan-

ta intercedit inter accidens & inhærentiam ejus in
 subjecto. Jā si esset idē numerò accidens successi-
 vè in duobus subjectis imediatè, existeret diversis
 inhærentiis: quatenus enim desinit esse in subjecto,
 cui prius immediatè inerat, & in aliò recipitur, de-
 struitur etiā illa inhærentia, quæ priori subjecto
 inerat, & nova, quæ cū altero unitur, succedit. At
 si maximè sit in diversis subjectis mediatè, modò
 imediatè in uno inhæreat, non existit per novam
 inhærentiam: sicut calor, qui cū esset antè aquæ
 calor, modò est calor aëris ex aqua geniti. utrique
 inest eadem inhærentiā, quæ illis non aliā inhæ-
 rentiā inest, quàm eā, quæ inest materiæ; inest
 autem materiæ, existenti modò sub forma aëris,
 eadem inhærentia, quia ipsi inerat, cū esset sub
 forma aquæ. Quod autem ille calor erat antè a-
 quæ calor, jam verò est aëris calor, vel, quod eo-
 dem recidit, quod mediatum subjectum ejus an-
 teā erat aqua, modò verò est aër, non inde est, qua-
 si calor in se novam acquisiverit inhærentiam, sed
 quia materia novam acquisivit unionē cum for-
 ma aëris, cū antè esset unita formæ aquæ.

IV. Dico II. *Unum numero accidens potest esse
 simul in duobus subjectis subalternatis, h. e. ita, ut
 uni insit immediatè, alteri mediante illo. Cū
 autem dupliciter subjecta h. m. sese habere pos-
 sint: vel, ut unum in alterò includatur, tanquam
 pars in toto; vel, ut aliās unum alteri insit: prio-
 ri modo Conclusio nostra est omninò certa, si-*

cut.

cut pa
 inest ea
 ligendi
 toti me
 inest im
 Posteri
 clusion
 sensiles,
 & medi
 tanquam
 ut intell
 ab anim
 immedi
 tiæ. Ac
 qua; qu
 est huc
 ante aq
 mida ab
 tur rō
 lum vi
 substan
 acciden
 catio ha
 ba, est v
 V. I
 est esse
 cor ita:

Q

Se

cut.

cut patet de anima & homine, quorum utrique
 inest eadem numero scientia, & idem actus intel-
 ligendi, sed homini mediante anima, tanquam
 toti mediante parte, & aliis accidens, quod parti
 inest immediate, inest etiam toti per illam partem.
 Posteriori modo etiam veram esse putamus Con-
 clusionem: plerique enim asserunt, qualitates
 sensibiles, v. g. albedinem, inesse primo quantitati,
 & mediante ea ipsi substantiæ, cui quantitas
 tanquam accidens inest. Ita si facultates animæ,
 ut intellectus & voluntas, sunt qualitates realiter
 ab anima distinctæ, scientia & actus, ipsi inerunt
 immediate, & iis mediantibus ipsi animæ substan-
 tiæ. Adduco iterum exemplum de spongia & a-
 qua; quoniam præcedentia controversa sunt. In-
 est humiditas aquæ immediate, & spongia medi-
 ante aqua, diciturque tam spongia quam aqua hu-
 mida ab eadem numero humiditate. Quod si igitur
 in esse accipere velimus pro predicari, nul-
 lum videtur amplius de exemplo quantitatis &
 substantiæ esse dubium, cum de utraque album
 accidentaliter predicetur, (utraque enim prædi-
 catio hæc: *Substantia est alba, & superficies est al-
 ba, est vera & accidentalis*) de una mediante altera.

V. Dico III. *Idem numero accidens non potest esse simul in duobus subjectis divisis.* Argumentum
 hoc ita:

Quod est in divisis, id ipsum est divisum.

Sed unum accidens numero non est divi-
 sum.

D d d 3

E. non

E. non est in divisis.

Major patet inductione. Lapis enim existens in hōc locō. & lapis existens in alio locō, sunt divisī, quia ipsa loca sunt divisā. Calor in hac aquā & calor in illā aquā sunt divisī & sejuncti, quia ipsæ aquæ sunt divisæ. Minorem probo, quia quod est divisum, non est unum: quia unitas consistit in indivisione, & per divisionem fiunt multa. At unum numerō accidens utique unum est.

VI. Dico. IV. *Unum numerō accidens non potest simul esse in duobus subjectis non divisīs aut unitis equaliter, h. e. ita, ut utriusque insit æquè primò & immediatè.* Huic conclusioni obstare videntur, quod Lutherani dicunt, fidem importare simul cognitionem sive notitiam, & fiduciam. Quod si verum est, sequitur, idem numerō accidens in duobus subjectis esse primò & immediatè. Erunt enim fides in intellectu & voluntate ut in subjectis, cum subjectum notitiæ intellectus sit, fiduciæ voluntas. At absurdum est, unum numerō accidens eō modo in diversis esse subjectis, quoniam quæ subjectis differunt, realiter differunt. Quam ob causam Pontificii, sicut Chemnitius *Loc. Part. II.* testatur, fidem nostram monstrum appellant & Chimæram.

VII. Verùm ad accusationem hanc facile est respondere. In regula enim nostrā, & iis, quæ hactenus diximus, sermo est de *subjecto, in quo accidens secundum se totum inest, ita, ut secundum se totum accidens non possit esse in duobus subjectis.*

Sed

Sed si a
rum, l
diverfi
plex a
& fidu
tellectu

IIX
ne con

Minor
jectis,
ctis di

IX
à seip

monst

fert re

est mo

candi

cundi

diffe

enim

one a

ris) &

stra si

ctis.

Sed si accidens diversas includat partes, quid mirum, si ratione diversarum partium in duobus & diversis subjectis insit? Est fides non unum simplex accidens, sed aggregativum quid ex notitiâ & fiducia. Quid absurdi igitur, si, ut notitiâ in intellectu, ut fiducia, in voluntate subsistat?

IX. Syllogismus ex datâ Pontificiorum ratione confectus erit hujusmodi:

Quod à seipsò realiter differt, est monstrum.

Fides Lutheranorum à seipsà realiter differt.

E. Fides Lutheranorum est monstrum.

Minor probatur, quia fides ipsorum differt subjectis, h. e. in diversis est subjectis. At quæ subjectis differunt, realiter differunt.

IX. Sed Resp. distinguendo Majorem: Quod à seipsò *secundum se totum* realiter differt, est monstrum. Quod verò ratione unius partis differt realiter à seipsò ratione alterius partis, non est monstrum. Nam quodlibet compositum secundum unam partem differt realiter à seipsò secundum aliam partem: sicut homo ratione animæ differt realiter à seipsò ratione corporis, (corpus enim & anima realiter differunt. E. & homo ratione animæ realiter differt à seipsò ratione corporis) & tamen nec homo, nec alia composita monstra sunt. Jam minorem quod attinet, patet ex dictis, quomodo fides à seipsà realiter & subjective

Ddd 3

dis-

differat, nempe non secundum se totam, sed ratione diversarum partium.

X. Notandum autem, nos in duabus ultimis Conclusionibus, sicut & in aliis, (ut quando diximus, duo accidentia solo numero differentia non posse esse in eodem subiecto.) locutos esse de eo, quod naturaliter fieri potest. An per potentiam Dei absolutam contrarium possit accidere, jam non discipimus.

REGULA X.

Quæ easdem habent proprietates, eandem habent essentiam.

I. Diximus in præfatione hujus Disputationis, nos accidens ita accipere, ut & proprium comprehendit. Non igitur abs se fuerit, si unum, atque alterum de propriis axioma proposuerimus. Est autem ratio præsentis axiomatis ea, quod proprietates fluunt ab essentiâ, vel secundum rem idem sunt cum essentiâ, & cum eâ citra ullam controuersiam recipiuntur.

II. Abutuntur eò Calviniani contra Lutheranos, quando sic argumentantur:

Quæcunque habent easdem proprietates, illæ habent eandem etiam essentiam.

Sed si in Christo proprietates diuina nature sunt communicatæ humane nature, dicitur illæ nature habebunt easdem proprietates.

E.

E. si proprietates divinae naturae sunt communicatae humanae, illae duae naturae eandem habebunt essentiam, quod est Euty-
chianum.

III. Resp. Negando minorem, quia aliud est, aliquid alicui revera competere, & de eo revera predicari, aliud, aliquid alicujus esse proprietatem. Vel aliud est, aliquid habere aliquid, aliud, aliquid habere aliquid, tanquam proprietatem. Quod divinae naturae proprietates communicatae sunt humanae naturae, per hoc humana natura habet eas proprietates, h. e. proprietates divinae ipsi revera competunt, & de ea praedicantur, sed per hoc non fiunt humanae naturae proprietates. Et ratio est, quia proprium sive proprietas ei, cujus est proprietas, competit per se. At divinae naturae proprietates non competunt humanae per se, sed per aliud, nempe per divinam naturam τὸ λόγῳ cui est unita, & praedicantur de ea non per modum quarti, sed quinti praedicabilis.

IV. Dicis : Humana natura habet proprietates divinae naturae. E. Divina & humana natura habent eandem proprietates.

V. Resp. Negando consequentiam, quia ad veritatem antecedentis sufficit, quod proprietates divinae revera competant humanae naturae. & de ea revera praedicentur. At consequens id importat, quod proprietates divinae naturae sint proprietates humanae naturae, Si quis hoc modo argumeta-

Ddd 4

retur:

retur: *Homo habet proprietates animalis. E homo & animal habent easdem proprietates*; negarem consequentiam, & puto satis perspicui, antecedens verum, consequens esse falsum. Etsi enim homo habeat proprietates animalis, quod negari non potest, non tamen eadē sunt proprietates hominis & animalis, quoniam proprietates animalis etiam insunt brutis, quibus proprietates hominis non competunt. Quod si non sunt eadem proprietates hominis & animalis, E. homo & animal non habent easdem proprietates.

VI. Quod si quis Majorem propositionem & Regulam nostram ita limitare velit: *Qua habent easdem proprietates tanquam proprietates*, id est, ita, ut sint utriusque eorum proprietates, *illa eandem habent essentiam*, (quod quidem modò minor falsa est, sicut ex dictis constat) non repugnabimus.

REGULA XI.

Aequivoca non habent proprietates.

I. Ratio est, quia proprietates præsupponunt essentiam, eamque indivisibili nexu sequuntur. Quæcunque ergò non habent essentiam, nec proprietates habent. Sed æquivoca non habent essentiam. E. nec proprietas. Minor patet ex naturâ æquivocorum, quoniam nimirum non habent unam essentiam, quemadmodum animal quoddam & fides, ut significantur nomine leonis, unam
essen-

essenti-

quia q

II.

est co

ciden

hâc co

tur eff

turis, f

III.

hæc es

comm

sentia

Et co

tere e

pro e

IV.

sumu

notia

nima

nis le

ctu v

sentia

ad fo

& hoc

ceup

quivo

mal q

leo, su

dam

dam

dam

dam

dam

dam

dam

dam

dam

dam

dam

dam

dam

dam

dam

dam

dam

dam

dam

essentiam non habent. E non habent essentiam: quia quod non est una essentia, non est essentia.

II. Hoc principio probant Scotistæ, ens, ut est commune Deo & creaturis, substantiæ & accidenti, non esse æquivocum: quia nimirum in hac communitate habet proprietates, quæ dicuntur esse unum, verum, bonum, Deoque & creaturis, substantiæ & accidenti competunt.

III. Dicis: Æquivoca habent essentiam, quia hæc est eorum essentia, quod eorum nomen solum commune sit, ratio vero essentia diversa, quæ essentia est una & communis omnibus æquivocis. Et confirmatur ex §. I. ubi diximus, in morem patere ex naturâ æquivocorum, ubi natura sumitur pro essentia.

IV. Resp. De æquivocis dupliciter loqui possumus: I. Quantum ad *materiale*, seu substratum notioni, quæ dicuntur æquivoca: qualia sunt *animal quoddam*, & *quoddam sidus* respectu nominis *leo*; & *animal quoddam* & *mons* quidam respectu vocis *Taurus*. Et hoc modo æquivoca nec essentiam habent, nec proprietates. II. Quantum ad *formale*, per quod aliqua dicuntur æquivoca: & hoc modo habent eandem naturam & essentiam, ceu probat argumentum §. III. Sed hæc ratione æquivoca non sunt æquivoca. Nam cum dico, *animal quoddam* & *quoddam sidus* respectu nominis *leo*, sunt æquivoca; & *animal quoddam* & *mons quoddam* respectu nominis *Taurus* sunt æquivoca, & sic

Ddd 5 de

de aliis; vox hæc *equivoca* non tribuitur illis æquivocè & in diversa significatione, sed in eadem, estque illorum, quatenus sumuntur respectu huius vocis *equivoca*, eadem ratio & essentia.

REGULA XII.

Accidentia quinti prædicabilis primò & immediatè competunt individuis, & secundariò, seu eorum interventu, speciebus sive universalibus.

Contra.

Propria primò & immediatè speciebus seu universalibus, secundariò singularibus seu individuis competunt.

I. Accidentia propria fluunt ab ipsa essentia & ratio, cur alicui aliquâ proprietates conveniat, est ipsa essentia. Quia verò essentia abstrahitur ab ipsis singularibus & individuis, & sic abstracta est universalis, ideò propria dicuntur primò & immediatè competere universalibus seu speciebus, individuis autem seu singularibus ex consequenti, seu ratione specierum: propterea nimirum, quia sub speciebus continentur. Ut si quaeratur, cur Petrus sit *ἑλασμός*? respondetur, quia est homo, vel quia est animal rationale, & quia homo & animal rationale universalia sunt, ideò τὸ *ἑλασμόν* primò universali, nempe speciei, quæ est homo, ex consequenti verò Petro etiam & aliis individuis hominis attribuitur.

II.

II. Quantum vero ad accidentia quinti predicabilis, quia non habent necessariam connexionem cum essentia, nec ab ea fluunt, sed conveniunt rebus propter alias causas, & propter earum actiones, actiones vero sunt in singularibus, sicut supra ex *I. Met. c. I.* audivimus, ideo conveniunt primo singularibus, & per ea speciebus & aliis universalibus. Quod testatur Philosophus *l. c.* his verbis: *Non curat medicus hominem, nisi per accidens, sed Calliam aut Socratem, aut quempiam alium, cui accidit, ut homo sit.*

III. Excipienda tamen hic erunt, quod & *Combricensis in Cap. VI. Isag. Porphyr.* notant predicata accidentalia, quæ important denominationem extrinsecam ab actu intellectus: qualia sunt *intelligi esse genus, speciem, & hujusmodi.* Hæc enim tantum abest, ut primo singularibus conveniant, ut quædam eorum ipsis planè non conveniant. Ratio autem exceptionis est, quod actio intellectus non est determinata & restricta ad singularia.

REGULA XIII.

Quorum diversa sunt natura, eorum etiam diversa sunt proprietates, & vice versa.

I. Eadem est ratio, quæ precedentium, quod scilicet cuilibet naturæ suæ respondet nativæ proprietates, in eis quas, & naturam ipsam, necessaria est connexio & reciprocatio. Ita quia aqua & ignis

ignis

ignis, homo & item leo diversas habent naturas, ideò etiam diversas proprietates obtinent, & vice versâ.

II. Potest exinde specialius axioma sic formari: *In quocunque dua manent natura post unionem integra & confusa, in eodem etiam integra manent utriusque natura proprietates: alioquin enim maneret natura in aliquò sine suis proprietatibus.* Hinc probatur, in Christò duas esse voluntates. Cum n. proprietas naturæ intellectualis sit voluntas, & verò in Christò dentur duæ & diversa naturæ intellectuales, divina nimirum & humana, sequitur, duas & diversas quoque in eò esse voluntates.

III. Dicis: Natura & proprietates ejus differunt realiter. Quid igitur absurdi, si per miraculũ seu potentiam Dei absolutam conservetur natura sine suis proprietatibus:

IV. Resp. Antecedens si non est universaliter falsum, certè non est universaliter verum. Proprietas enim quantitatis est divisibilitas, quæ secundum rem est ipsa quantitas. Proprietates etiam seu attributa Dei sunt nihil aliud secundum rem, quàm ipse Deus. Et intellectum & voluntatem secundum rem idè cum animâ esse, celebratissimorum Autorum est sententia. Sine hujusmodi propriis sive attributis ne per potentiam divinam natura ipsa esse poterit, cum inde aperta sequatur contradictio. Hòc enim ipsò, quod a-

liqui
eo re
priet
tem n
certu
Dei a
ceden
Titul

A

plic
cern
infr
acce
de c
prop
libr
ma,
exp

liquid sine aliquo in rerum naturâ esse potest, ab eo realiter differt. Quod si itaque aliqua proprietas realiter ab essentia seu natura differat, saltem naturaliter sine ea naturam esse, non posse, certum & concessum est, quicquid sit de potentia Dei absoluta. Poterat hæc Regula unâ cum præcedenti XI. commodè etiam ad sequentem referri Titulum vel Disputationem.

Regularum Philosophicarum

DISPUTATIO XVII.

continens

REGULA V.

pertinentes ad doctrinam.

COMPARATORUM

Aristoteles *I. Top. c. V.* ad problemata accidentis refert ea, quæ prædicantur per quandam comparationem. Unde cum *Lib. II.* explicasset locos accidentis simplicis, statim *in verso* subjungit eos, qui concernunt accidens comparatum. Nos iisdem insistentes vestigiis, post Regulas ad doctrinam accidentis pertinentes, adducemus Titulum de comparatis. Quanquam certè non illa proponemus, quæ Aristoteles nobis in tertio libro reliquit, sed alia quædam, eaque paucissima, hic trademus. Ex iis, quæ Philosophus *I. c.* explicavit, nonnulla inferius in Tit. de perfecto &